



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Praesertim Augustini, Et Thomae Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Sacramentis In Genere Et Specie - Libros Octo Complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput 245. Confessarius, qui, non obtentâ ad id facultate, absolvere
audet, vel præsument à casibus Sedi Apostolicæ, vel sibi ab Episcopo
reservatis, excommunicationem ipso facto incurrit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73212](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73212)

petatur in Choro, vel solemnè supplicatione; si velitis ejus contumelioso modo dilaceretur; si facies vel caput luto, atramento, stercore, urina, sputis foedetur, &c. certè non levis sunt istiusmodi percussiones, sed vel graves, vel etiam atroces & enormes.

2748 Porro canonem sequi suadente 17. q. 4. de percussione enormi alii canones explicant, ut notat Natalis Alexander Th. Mor. to. 4. l. 2. c. 5. a. 7. reg. 36.

CAPUT CCXLIV.

Peccatum habens reservatum, non potest, extra mortis articulum confiteri Sacerdoti non habenti potestatem in reservata, neque hic sine à reservatis, sive à non reservatis ipsum absolvere.

2749 Ratio est, quia Tridentinum s. s. 14. c. 7. expressè declarat, quòd Sacerdotes inferiores extra mortis articulum nihil possint in casibus reservatis, idè què id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores, & legitimos Judices pro beneficio absoluti accedant. Ecce solum mortis excipit articulum; nullam verò aliam necessitatem.

2750 Proinde si Parochus, casum habens reservatum, festo die celebrare debeat, ut populus Sacrum audiat, nec id absque gravi scandalo omittere queat, nec Vicarium substituere, nec adire Superiorem, seu habentem in reservata potestatem; perinde se gerere debet, ac si Confessarii copiam non haberet; licet habeat copiam Confessarii approbati pro casibus non reservatis; utpote qui ipsum nequidem à non reservatis absolvere potest, ob eorum conjunctionem cum reservatis, à quibus absolvere non potest.

CAPUT CCXLV.

Confessarius, qui, non obtenta ad id facultate, absolvere audeat, vel presumat à casibus Sedis Apostolicæ, vel sibi ab Episcopo reservatis, excommunicationem ipso facto incurrit.

2751 Sic enim habetur in Decretis S. Congregationis Cardinalium, Episcoporum, & Regularium negotii præpositorum, à Clemente VIII. Paulo V. & Urbano VIII. confirmatis. Id verò audent, vel præsumunt, qui scienter id faciunt, vel ex ignorantia crassa vel affectata, inquit Natalis Alexander hinc regulà 41.

CAPUT CCXLVI.

Confessarius, qui id seu scienter fecit, seu ignoranter, pœnitentem ad confessionem, si possit, revocare tenetur, obtinèntque facultate absolvere; vel certè monere de errore, ut Superiorem adeat, seu habentem facultatem. Si neutrum possit; pœniteat, Deoque negotium commendat.

2752 Ita S. Antoninus 3. p. tit. 17. c. 12. ubi sic: quicumque absolvit aliquem ab aliquo peccato, in casu in quo non potest... quia reservatus est... præterquam quòd graviter peccet, quando absolvit scienter, vel etiam quando ignorans juris crassa... tenetur illum, quem sic absolvit, aversare de errore suo, si cognoscit, vel potest invenire... quando fieri potest sine scandalo notabili. Unde in Concilio Basiliensi quidam Periti, habita super hoc collatione, dixerunt, quòd talis Confessor petat auctoritatem à Superiore super hoc casu, à quo non potest absolvere, & tamen absolvit. Quà habita, vocet illum (quem absolvat cum non posset) & per aliquem modum cooperatum interroget de aliquibus quæ sibi

confessus est, quasi melius volens informari, ac si non plene intellexisset, & si qua alia commisit crimina possed. Et sic absolvat ab omnibus iterum, & tunc, & prius aliis auditis. Vel si magnum scandalum ex hoc timeretur... committat summo Sacerdoti, scilicet Christo, præsertim quando multitudo est sic neglecta, vel multum distans à loco, ubi est Confessor.

CAPUT CCXLVII.

Facultas ab Episcopo obtenta, absolvendi à casibus ipsi reservatis, non cessat, mortuo Episcopo.

2753 Contraria est opinio Natalis ab Alexandro regulà 34. Delegatio enim (inquit) morte delegantis extinguitur, uti habetur L. Et quia ff. de jurisdictione omn. Judic. Sed assertio nostra communis est, & certa, ex cap. si cui de præbend. in 6. & cap. si super gratia de offic. deleg. cod. lib. ubi dicitur, quòd gratia non exprimat per mortem concedentis.

2754 Neque obstat ratio P. Natalis, utpote solum procedens in concernentibus jurisdictionem contentiosam.

CAPUT CCXLVIII.

Confessarius, tam secularis, quam regularis, (aliàs non habens potestatem in reservata) in Diocesi in qua est approbatus, pœnitentes ex alia Diocesi ad se accedentes, absolvere potest à casibus in illa Diocesi reservatis, si reservati non fuerint in Diocesi, in qua est approbatus, nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis, ad alienam Diocesim pro absolute obtinenda migrasse.

2755 Ita pro Regularibus declaravit Clemens X. Bullà superni magni Paris familias, ubi dicit: posse regularem Confessorem, in ea Diocesi in qua est approbatus, consulente ex alia Diocesi, à peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem Confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis, ad alienam Diocesim pro absolute obtinenda migrasse.

2756 Ratio verò cur hoc possit Confessarius, etiam secularis, est tum quia viator, tempore quo foris est, foris forum pœnitentiale in loco ubi constititur, prout ab Eugenio IV. declaratum testatur Cajetanus in Summa, verbo absolutio. Neque enim legibus proprii territorii tenetur extra illud. Tum quia reus judicari solet secundum leges & consuetudines loci, ubi fertur de ipso iudicium.

CAPUT CCXLIX.

Tamest Confessarius, habens facultatem absolvendi à casibus S. Pontifici reservatis, à censuris etiam absolvere possit; Confessarius tamen, habens facultatem absolvendi à casibus Episcopo reservatis, non ideò potest absolvere à censuris ipsi reservatis.

2757 Ratio prioris partis est, quia aliàs à nullo casu S. Pontifici reservato absolvere potest: cum nulli casus S. Pontifici reservati sint absque censura.

2758 Ratio posterioris partis est, quia cum Episcopi reservare soleant casus absque censura, & aliud sit casus reservatus, aliud censura reservata; facultas concessa ad unum, non censetur ad alterum concessa, nisi exprimat.